

Bibliothèque numérique

medic@

**Petit, Marie-Antoine - candidat /
Pourfou- du-Petit, Etienne - président /
Guyot, Henri - auteur. - Utrùm Ani
fistula ferro tutiùs quàm Causticis, aut
ligaturâ curetur ?**

1788.

**Paris : Typis Quillau,
Universitatis & Facultatis
Medicinae Typographi
Cote : ms 2337a n°158**



Licence ouverte. - Exemplaire numérisé: BIU Santé
(Paris)

Adresse permanente : http://www.biusante.parisdescartes.fr/histmed/medica/cote?ms02322_ms02337ax17x0158

125

DEO OPTIMO MAX.
UNI ET TRINO,

VIRGINI DEI-PARÆ ET S. LUCE,

Orthodoxorum Medicorum Patrono.

QUÆSTIO MEDICO-CHIRURGICA,*

QUOD LIBETARIIS DISPUTATIONIBUS

manè discutienda in Scholis Medicorum, die Martis duodecimâ
Februarii, anno Domini M. DCC. LXXXVIII.

M. STEPHANO POURFOUR-DU-PETIT, Antiquo Facultatis
decano, Doctore Medico, Præside.

Utrum Ani fistula ferro tutius quàm Causticis, aut ligaturâ curetur ?

I.

ANUS est extremum inferius intestini recti. Triplici instructus est musculo :
horum unus, ab officio, constrictor sive sphincter Ani dicitur : ab infe-
rioribus ossis sacri vertebrae enatus podici circumducitur : ossibus coxendicis
per ligamenta membranacea lateraliter alligatur : anteriùs vesicæ urinariæ
per fibrosos nexos, in feminis collo uteri per proprios hujus musculos ad-
hærescit. Superiori parte crassus est, tenuior inferiori, quâ cuti inseritur
& firmiter connexus est. Dicatur hic unus aut triplex musculus, nihil ad
rem. Anum claudit nè feces injussæ excernantur. Reliqui duo muscoli le-
vatores Ani appellantur. Originem habent utrinquè à parte internâ & laterali
ossis ischii, & quandoquè pubis, desinunt in Ani sphindere. Ii musculum
constrictorem, qui ad inferiora plus minùsve detruditur, prout majori vel
minori conatu egeruntur excrementa, fursùm retrahunt in locum pristinum.
Arterias & venas ab Iliacis internis habet podex, quæ ob id hæmorroidales
audiunt, quòd non rarò per Anum cruor effluat. Qui in venis hæmorroi-
dalibus continetur sanguis, facillè lentescit, spissescit, corrumpitur. Plures
inter alias causas, compressionem cogitabis, tum ab induratis fecibus, tum
ob sessionem aut equitationem diuturniorem. His annumera casum, idus
quæ supervenit contusio. Anus igitur tumoribus & abscessibus valdè ob-
noxius cognoscitur. At aliquandò dysenteria, tenesmus, alvi fluxus diù per-
manentes aut præposterè suppressi, sæpius hæmorroides cæcæ, dolentes,
non rite fluentes, aut legitiuè fluentes perperam ficcatae, abscessus gene-
rant, horum soboles fistula. Id nomen est ulceri alto, angusto, calloso, pus
fundenti, copiosum si ex pluribus partibus deducatur; album, leve, si mus-
culos tantum perferit : *At ex nervoso loco coloris quidem ejusdem, sed tenuius*
& minus : *ex nervo, pingue & oleo non dissimile.*

C. M. L. v.
C. xxvij.

(*) Propugnata anno 1736. Præside M. Henrico Guxot.

A

0 1 2 3 4 5 6 7 8 9 10

I I.

ANI fistulæ, sede, facie, formâ, indole, inter se differunt. Intestinum rectum aliquandò ejusque musculos afficiunt, atque ultra trium digitorum altitudinem perreptant. Alias in margine podicis consistunt. Alias ab intestino secedunt usque ad os sacrum, coxas, femora, vesicam ipsamque penis radicem spatiatæ, gyros revolvunt. Simples modò, modò plures observantur cuniculi. Triplex ergò fistulæ Ani species. Nunc foris impervia intestinum perforat. Nunc margine podicis perforatâ integrum remanet intestinum. Nunc intus hiat & forinsecus. Fistula intestinum duntaxat perforans, externo expers ostio his signis innotescit : partes finitimæ tumescunt, inflammantur, dolent, indurescunt, pulsatione exercentur, quandoque dysuria vel stranguria præit; dein suppuratione peractâ, feces pure aspersæ egeruntur, pruritus in sphinctere Ani molestus est, tandem aliquid asperi, digito in intestinum immisso, perferuntur. Fistula foris & internè hians non solum puri sed & flatibus exitum præbet. Fistula externè aperta, internè verò occlusa specilli ope distinguitur, specillum enim certior fistulæ sedis indagator. Specillum in fistulam, digitus oleo illitus in Anum immittuntur, ut altitudo fistulæ, ejus incessus, hiatus explorentur. Hâc viâ fistulam secundum intestinum irrepere ipsumque perforare, vel ab ipso recedere ac vagari; simplicem esse aut cuniculos agere faciliè deprehenditur. Quâ sit ut prognosis & curatio varia instituenda sit. Veterem fistulam liberè pus emittentem, parùm asserentem incommodi, valetudini non adversari, quin etiam conducere experientiâ discitum est. Si altius excurrat fistula, vesicam, ischion, os sacrum pertingat, aut medios Ani musculos transgrediatur, cura, quam vulgò *palliativam* vocant, adhibenda. Quid ita? invita alvi dejectione succederet, sinibus profundioribus, cariei ossium mederi nequicquàm posses. Tunc universalibus præfidiis in usum vocatis, ægrum Naturæ committere juvat. Cæterarum podicis fistularum curationem aggredieris? hanc perficies ferro tutius quàm causticis aut ligaturâ.

I I I.

IN hoc tota posita est Ani fistulæ curandæ ratio, ne plus minùsve quàm par est illa aperiatur, ne partes sanæ frustra discerpantur, aut ulcerosæ & callosæ intactæ remaneant. Quidni huic aperturæ faciendæ *escharotica* usurpentur? vehementioribus enim aut mitioribus adhibitis, major minorve procreatur *eschara*. Egregium consilium! sed experientiæ & rationi absonum. Quis caustici *energiam* adeò noverit, ut ejus effectus suo arbitrio componere valeat? Cordatus Medicus validiora aut mitiora æqualitèr exhorrescit: ut hæc muneri proposito imparia, illa nimis corrosivis capacia. Causticum exlex & effrenum nullis regulis subicitur. Hujus effectus si immodicus, vix ac ne vix quidem coercetur. In variis subjectis partes plus minùs duræ, magis minùsve resistunt. Hinc de medicamenti naturâ, indole, dosi, nihil certi habetur. Num *escharotica* sero dissoluta atque ultra citràque diffusa, absumendis duntaxat partibus insidebunt? quot & quàm necessariò partes insontes adurentur! At quanto cum dolore! videas homines miserrimos diem integrum, imò diutius immanissimè cruciari, jactari, ejulare. Nequè tamèn forsan adeò reformidanda est strages illa partium innocuarum, quàm timendum est ab iis, quæ dolores invohunt, symptomatibus. Dolor immanis vigilias, vigilie febres, febris

3

phlegmonas, phlegmones convulsionem pariunt, convulsionem non raro mors excipit. Aliundè quòque causticorum pericula. Lethalia sunt à telis venenatis, inflida vulnera. Animalia quorum in vulneribus oleum Tabaci aliudve toxicum instillatum fuerit enecantur. Non-ne spirituosæ, emollientiæ, narcotica externè admota vires suas exerunt? Cicuta diutius suprà regionem cordis gestata, *syncopen* atque *cardialgiam* intulisse narratur ab Authoribus gravissimis. Quorsùm hæc? ut intelligas caustica ad aperriendam fistulam applicata suis tetræ *miasmatis* totam corporis œconomiam posse pervertere. Sed ad callum absumendum quàm inepte caustica usurpantur! Quis nescit causticum etiã parti sanæ applicatum *escharam* facere? sed si parti callosæ? decideret *eschara* quidem, at subiectis partibus remanebit duriities. Huic assumentæ novum applicatur causticum: exindè novus callus eodem semper modo tollendus & renovandus. Hinc in annos non raro torquentur ægri cruciatibus teterrimis, qui causticorum actionem expertes panè doloris passuros se putaverant. Quid de carunculis fungosis queis ortum præbent etiã caustica? Quis verò nescit partes breviori temporis spatio, longèque minori dolore incidi, quàm aduri? ferrum oculus dirigit nè longius quàm par est vagetur, nevè quid labefactum relinquat intactum.

I V.

INCISIONEM perpeffurus variis præparationibus indiget, *phlebotomiâ*, catharticis, diætâ convenienti; alterantibus, si opus est, utatur. Paulò antè operationem alvus enemate solvenda & urina emittenda. Facilius operaberis, fecum & urinæ ejectionem prohibebis. Tùm æger pronus lecti spondæ decumbat. Clunes porrigat à famulis diducendas. Brachia, tibiæ, femora, truncus immota teneantur. In Anum ægri sic compositi, indicem oleo illitum Chirurgus immittit, specillum in fistulam foris hiantem inserit, specillo intestinum paulò supra hiatum fistulæ perforat, specillum index in ansæ modum infleddit. Comprehenfâ specillo tota fistula, foràs lenitèr, ne partes dilacerentur, adductâ scalpello incurvo circulariter abscinditur. Cæcam intrinsecus fistulam completam efficiat intestinum specillo perfodens Chirurgus. Hanc attrahat & excidat. Quò pertingat forinsecus fistula quæ tantum perforat intestinum, declarat vulgò tumor externus, durus, saltem exiguus; hic aperiendus. Sic patefactâ, quæ specillum admittat, viâ; modum tenes operandi qui superius traditus est. Incisione peractâ, cuniculi, si qui sint, aperiuntur, calli amputentur, refecentur habenulæ. Cayendum maximè nè furculus arteriosus, qui pulsatione facillè distinguitur, pro habenulâ incidatur. Crassior turunda oleo & ovi vitello simul mixtis imbuta in Anum immittatur; pluribus linamentis eodem liquore tindis vulnus implendum, superposito splenio emplastro obducto, additis linteolis complicatis. Hæc ut firmentur, deligatione indigent. Deligandi modum accipe. Antequàm abscindatur fistula, mantile secundum longitudinem ter quaterve plicatum renes ægri cingat. Cingulum istud, linteò ab ægrotantis collo antè & retrò pendenti (*scapulare* vocant) utrimque affluatur. Mantili yerdò renes cingenti adhæreat à tergo fascia sex digitos lata, duos cubitos circiter longa. Hæc apparatus vulneri applicatum comprehendens ad scrotum usquè adducatur integra: quod reliquum est bifidum esse debet, ut intra crura excurrans, cum renum cingulo, de quo dictum est, antrosum firmiter, connectatur. Post diem integrum primus solvitur apparatus.

4

Turunda & linimenta balsamo *Arcei* & unguento *Basilico*, aut similibus Pharmacis deinceps oblinantur. Pure albo nec grave olente existente, renatisque, quantum demptum est, genuinæ indolis carnibus, cicatrix unguenti pompholygos ope inducatur. Vulnus eò citius sanatum iri existimes, quò diatā tenuiori toto curationis spatio usus fuerit ægrotans.

V.

AGE nunc. Quid verearis ab excisione fistulæ? num hæmorrhagiam? at nulla est sæpissimè; si quæ tamen, facile compescitur. Cum amputatur mamma, plures simul secantur arteriæ: Num ab hac operatione deterret hæmorrhagiæ metus? linamento solo sistitur fluxus sanguinis. Nequè eodem periculo, si quod imminet, vacat causticorum usus. *Eschara* quidem ab iis induta omnes vasorum hiatus occludit; eadem decidente nonnè rursus dehiscunt vasa? hinc obsolevit ferro candenti sanguinem cohibendi consuetudo. At saltèm, inquit causticorum Patroni, ostium fistulæ cum forinsecus non satis patescit, leviori caustico ampliandum est. Quidni ferro potiùs? si ferrum adeò reformidet æger, spongia præparata in fistulam immissa, imbibito succo tumefacta paulatim ostium fistulæ dilatat. Verum cum majori dolore & tædio. Potior est dolor acutus qui brevi pungat, quàm levis qui diù molestus sit. Quarè non audiendi sunt qui fistulam filo serico, vel setâ equinâ vinciendam & de die in diem constringendam donec secetur, prædicant. Isthæc operatio eò crudelior quò longior; insuper nec expertus est periculi. Si filo secetur vasa sanginea, à constrictione supersedeas oportet, & hæmorrhagiæ occurras. Quod si hoc non eveniat incommodi, doloremque ferat æger constanter, improbanda tamen illa: ad curationem enim fistulæ, non ipsa tantum sed cuniculi, si qui sint, aperiendi, habenulæ & callosa substantia excidenda. Hæc vinculis illis nullo modo, causticis difficultè admodum, ferro facillimè periticies.

Ergò Ani fistula ferro tutius quàm causticis aut ligaturâ curatur.

DOMINI DOCTORES DISPUTATURI.

M. Franciscus - Gaspardus DIDERON.

M. Carolus - Jacobus - Ludovicus Condacii Principis Medicus ordinarius, nec non Regis apud peditum tum gallicum tum extraneum, Consultarius Medicus.

M. Joan. Bapt. - Eugenia DUCOUREAU, Serenissimi MANGIN.

M. Philibertus BORIE.

M. Franciscus - Maria LE MOINE.

M. Thomas LE VACHER DE LA FEUTRIE, Antiquus Facultatis Decanus, utriusque Pharmacie Professor.

M. Josephus-Ignatius GUILLOTIN.

M. Joannes-Augustinus COUTAVOZ, anatomæ & rei obstetriciæ Professor designatus.

M. Joannes COLOMBIER, Civili tum nosocomiorum, tum Custodiarum Inspector.

Proponebat Parisiis MARIA-ANTONIUS PETIT, Sueffionæus, Saluberrimæ Facultatis Medicinæ Parisiensis Baccalaureus. A. R. S. H. 1788.

AB OCTAVA AD MERIDIEM.

Typis QUILLAU, Universitatis & Facultatis Medicinæ Typographi. 1788.

